DE

# MELANOSI.

## DISSERTATIO

INAUGURALIS PATHOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXX. M. JANUARII A. MDCCCXXXIX.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

**Albertus Nehse**

NEOMARCHICUS.

Opponentibus:

O. BREDOW, Dr. med. et chir.
J. GOLZ, Dr. med. et chir.
G. ACKERMANN, Cand. med. et chir.

**BEROLINI,**

TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

AESTUMATISSIMO, DILECTISSIMO,
AMICISSIMO

AFFINI SUO CARISSIMO

**THEOPHILO ESCHNER**

NEC NON

**FRATRIBUS OPTIMIS**

HAS

QUALESCUNQUE PAGELLAS

D. D. D.

AUCTOR.

## Cap. I.

## LITERATURA MELANOSIS.

Melanosis, de qua disputaturus sum (a μέλας niger, μελανόω Fut. μελανώσω nigrifico) morbum et hominibus et nonnullis animalibus communem denotat, cujus princeps in eo est criterium, ut substantiae nigrae vel in singularibus vel fere omnibus totius corporis partibus deponantur.

Quod ad scriptores attinet priorum saeculorum, qui morbi a recentioribus melanosis nomine impertiti mentionem fecerint, ut plurimum hi laudantur:

***Highmore:*** corporis humani disquisitio anatomica. Hagae Comitis 1651.

***Th. Bartholinus:*** acta medica et philosophica a 1671 — 1672.

***Th. Bonetus:*** Sepulchretum anatomicum seu anatomia practica ex cadaveribus morbo denatis. Lugd. 1700. V. III.

***H. Henrici*** et ***L. G. Nothnagel:*** de abscessu mesenterii et musculorum abdominis plane singulari. Hal. 1712.

Journal des Savans a. 1742. pag. 102.

*J. B. Morgagni:* de sedibus et causis morborum per anatomen indagatis. Lugd. Batavor. 1767. Libr. II. Ep. XVII.

*J. B. Burserius de Kanilfeld:* institutiones med. pract. Ed. nova. Lips. 1790. pag. 48. Vol. IV.

*A. ab Haller:* elementa physiologiae. Tom. III. pag. 151. Lausanne 1761.

*Idem:* opuscula pathologica. Ed. nova. Laus. 1768.

*A. L. Lorrey:* de melancholia et morbis melancholicis. Parisiis 1765.

*Le Cat:* de la couleur de la peau humaine. Amsterdam 1765.

*J. Morton:* Phthisiologie. A. d. L. Helmstaedt 1780.

Descriptiones vero melanosis accuratiores Gallorum medici nonnulli doctissimi tempore recentiori obtulerunt, et prae omnibus *Laennec* hunc morbum non modo summa cum diligentia descripsit, sed etiam primus melanosin appellavit. Quanqnam *Dupuytren* hoc disputat, se jam dudum in praelectionibus suis melanosin commemorasse affirmans, id certum largiendum est, Cl. *Laennecium* fuisse primum, qui hujus morbi naturam exposuerit ejusque notitiam evulgaverit. Accuratissime *Laennec* melanosin descripsit in opere:

Traité de l'auscultation médiate. Paris 1819. Tom I. pag. 289 — 312. Ed. nova. Paris 1831. T. II. p. 214.

Praeterea observationes circa melanosin passim apposuerunt:

*Esquirol:* Bulletin de la faculté de méd. Paris Tom. IV. pag. III.

*Bayle:* Recherches sur la phthisie pulmonaire. Paris 1820. Obs. XX. XXI.

*Gohier:* Mémoires et Observat. sur la chir. et méd. vétérinaire. Lyon 1813.

*Mérat:* en dictionnaire des sciences médicales. Art. mélanose. T. XXI. p. 183.

*Alibert:* Nosologie naturelle Tom. 1. Paris 1817. pag. 553.

*Cruveilhier:* Médecine pratique éclairée par l'anatomie et la physiol. pathol. chap. 1. p. 160. Paris. 1821.

*Puchelt:* Das Nervensystem etc. Leipz. 1818. pag. 264.

*Reisseisen:* Ueber den Bau der Lungen. Berlin 1824. pg. 46.

*Brechet:* Considérations sur une altération organique appelée degénerescense noire, mélanose, cancer melane. Paris 1821.

*Pearson:* Philosophic. transact. for. London. 1813. post 2. pag. 150, germanice in *Meckel's* Archiv f. d. Physiol. T. III. pag. 257.

*Tavers:* Synopsis of the diseases of the eye. London 1820. p. 415. Pl. VI. Fig. 2.

*Isenflamm:* Anatom. Untersuchungen. Erlangen. 1822. pag. 187.

*Cullen* et *Carswell:* Transactions of the medico chir. society of Edinburgh 1824. pag. 264 — 284.

*Cullen* et *Carswell:* Medic. chir. Review by *J. Johnston.* London No. 3. Jan. 1825. V. VII. Non. 19. 151.

*A. Halliday:* The London medical repository Vol. XIX. June 1823.

*A. Halliday:* Case of Melanosis, medical Intelligen No. 42 and 46 June and Sept. 1823.

*Heusinger:* Ueber Kohlen- und Pigmentbildung. Eisenach 1823. p. 95.

***Billard:*** de la membrane muqueuse gastro-intestinale. Paris. 1825.

***Lorinser:*** Die Lehre von den Lungenkrankheiten. Berlin 1823. pag 520.

***Wardrop:*** The works of the late Dr. ***Baillie*** Vol. II. preliminary remarks etc. pag. L. I.

***Savenko:*** Tentamen path. anatom. de melanosi Petrop. 1825. c. Tab. IV.

***Schier:*** Dissert. de morbo quodam maculoso, quem melanosin recentiores appellant. Berol. 1825.

***Fawdington:*** A case of melanosis illustrated by coloured lithographic plates. London 1826.

***Becker:*** Diss. de glandulis thoracis lymphat. atque thymo. Berol. 1826.

***Zimmermann:*** Dissertatio de melanosi. Berl. 1828.

***Nicolai:*** ***Rust's*** Magazin Bd. XXII, S. 540. Bd. X. H. 3 pag. 513.

***Trousseau*** et ***Leblanc:*** Archives générales de Médecine 1828 pag. 165.

***Lobstein:*** Traité d'anatomie pathologique. Tom. I. Paris 1829 p. 456.

***Hooper:*** The morbid anatomy of the brain.

***Froriep's*** klinische Kupfertafeln IV. Lief. Tab. XXII. Weimar 1830.

***Schoen:*** Pathol. Anatomie des Auges. Hamburg 1828. pag. 288.

***Roux*** et ***Boyer:*** en Lancette française T. III. p. 80.

***Liston:*** in Lond. med. Gacette May 1831. Mit 1 Kupfert.

***Otto:*** Lehrbuch der path. Anatom. des Menschen und der Thiere. 1 Bd. Berlin. 1830.

***Roemhild:*** Dissert. de melanosi. Halae 1833.

***Schilling:*** Dissert. de melanosi. Francof. ad Moen. 1831.
***Natorp:*** Dissert. de historia morbi de melanosi cordis, hepatis totiusque telae cellulosae. Berl. 1836.
***Blasius:*** Clinisch. chir. Bemerkungen. Halle 1832. S. 42.
***Blasius:*** Journal für Chir. und Augenheilkunde Bd. 1. Heft 2. S. 145.
Illustrations of the elementary formas of disease by ***Rob. Carswell*** Fasci IV. melanoma. London 1834. (Auszug davon in der allg. medic. Zeitung. Altenburg 1835. S. 624).

De animalium, hoc morbo frequentius laborantium melanosi scripserunt:

***Flandrin:*** Instruit. et Observat. sur les maladies des animaux domestiques par ***Chabert***, ***Flandrin*** et ***Huzard.*** Paris 1822. T. IV. pag. 298.
***Dietrich:*** Gestüt- und Züchtigungskunde. Berlin 1824. pg. 580.
***Brugnone:*** Von der Zucht der Pferde, Esel etc. Nach d. Ital. von ***Techner*** in Prag.
***Viborg:*** Veterinair Sellckabets Skrifter D. II. III.
***Gohier:*** Compte rendu des travaux de l'école vétérinaire de Lyon 1811.
***Noack:*** Commentatio vet. med. de melanosi cum in hominibus tum in equis obveniente. Paris 1826. 4. c. III.
***Gendrin:*** Anatom. Beschreibung der Entzünd. Aus d. Franz. von ***Radius*** B. I.

## Cap. II.

***Laennec*** melanosin idiopathicas, nigras, consistentia bronchiorum glandulis adultorum similes, humidas et

opacas materias nominat, atque hunc morbum (1) adnumerat iis fabricis, quibus nullae similes in corpore sano inveniuntur, cumque aliis pseudorganisationibus aequiparandum esse credit.

Serius autem a permultis auctoribus diversae organismi degenerationes, quae modo pigmento nigro inter se consentiunt, ad melanosin sunt relatae neque minus inveniuntur alia nomina, quae omnia et melanosin et classes ejus singulas a *Laennecio* distinctas significant. Huc pertinent: mélanoides (2), tumeurs mélaniques, dégénération noire (3), Cancer mélané (4), melanosis tuberculosa, tubercula nigra, Charbon, Morsilles. *Harless* in encheiridio clinic. med. B. II. nomen melaenae pseudoplasticae, tuberculosae et saccatae ei imposuit, *Brugnone*, quem obiter commemoro, caudae nodos vocat a sede, quippe qui praesertim equorum ano, caudae radici atque genitalibus inhaerere soleant.

Plurimi auctores, qui post *Laennec* de melanosi scripserunt, partim in ea dividenda *Laennecium* secuti sunt, partim principiis propriis novas distinctiones superstruxerunt, quare praeter *Laennecii* classificationem nonnullas alias, quae memoratu dignae mihi videntur, apponam.

*Laennec* quatuor formas distinguit:

1) melanosin cystide inclusam;

2) melanosin cystide carentem;

---

(1) Journal de méd. par Corvisart Tom. IX. pag. 360. 378.

(2) Gasparin: Compte rendu des travaux de la societ. roy. etc. pendant le cours de 1818 par M. Grognier, Lyon 1819.

(3) Breschet: loc. cit.

(4) Alibert: l. c.

3) melanosin per organorum telam quasi dispersam;

4) melanosin in superficie membranarum secretam.

*Mérat* novum adjunxit genus, quod melanosin in fluidis suspensam vocat, primam autem formam *Laennecii* negat. *Breschet* non nisi primam et quartam formam probat. *Trousseau* et *Leblanc* primi melanosis stadiorum rationem habuerunt, quamobrem stadium cruditatis et stadium mollitiei distinxerunt. *Andral* denique, animum praecipue ad hunc morbum advertens, eum ita divisit:

1) Melanosin in massis
   *a*) in stadio cruditatis;
   *b*) in stadio mollitiei;
2) melanosin per organorum telam quasi dispersam (infiltrée);
3) melanosin membranaceam, quae stratis solidis membranarum superficiem obducit;
4) melanosin liquidam, quae pura, seu in aliis liquoribus suspensa apparet.

Noack tres hujus morbi formas statuit:

1) melanosin tuberculosam;
   *a*) mel. ulcerosam, seu apertam;
2) mel. membranaceam, s. in membranarum speciem extensam;
3) melanosin liquidam.

*Savenko* hanc definitionem morbi edidit:

»Melanosis est morbosum pseudoproductum, constans massa homogena, opaca, coloris obscuri, organismo animali plane heterogena.«

Idem hanc divisionem offert:

1) melan. sub forma massae solidae rotundae:

*a*) sacco vel cystide propria inclusae;

*b*) vel vero involucro proprio carentis;

2) mel. sub materiae fluidae forma;

3) mel. lamellarum vel stratorum tenuium instar (mel. membranacea *Andralii*)

4) melanosin complicatam cum scirrho, cancro, fungo, haematode maligno, sarcomate medullari etc.

Schilling partim morbi naturam respicit, partim ad signa anatomica provocat. Ejus enim species sunt:

1) Melanosis benigna;

2) Melanosis maligna;

*a*) Melanosis tuberculosa;

*b*) Mel. fungosa, sive sarcomatosa.

*Carswell* pro melanosi benigna, quam melanosin spuriam existimat, nomen »melanoma« eligit; huc omnia illa exempla secretionis pigmenti atri pertinent, quibus carboneum foris in organismum ingeritur, vel secretio pigmenti nigri reactione chemica sanguinis producitur.

Species prima melanomatis in solis pulmonibns invenitur; omnes partes pulmonis nigrescere possunt. Ad hanc formam pertinent non modo illae maculae atrae, quae in pulmonibus hominum, carbonum pulvere aut pice navali ad opificium suum utentium, creberrime inveniuntur, sed etiam illa melanosis, quae jam a medicis antiquioribus in glandulis bronchialibus observata est.

Secunda forma, quae potentiis chemicis in sanguinem agentibus producitur, imprimis ventriculum et organa ei annexa occupat, nunquam melanosis tubercula, sed modo puncta nigra strataque in tunicis intimis format, tanquam vasa minima massa quadam atra impleta sint.

2) Melanosis vera est morbus idiopathicus, qui pendet a mutatione secreti, quo color naturalis organorum oritur. Quod secretum non organisatum fusco-nigrum, variae consistentiae injuriis externis obnoxiae, praesertim in telis serosis et quidem in earum cellulis, sive in vera tela cellulosa, quae vero in membranis serosis morbose conformata est, sedem habet. Praeterea hoc pseudosecretum aut in substantia, aut in organorum structura moleculari invenitur. Quocirca ***Carswell*** quatuor classes discernit:

*a*) Melanosin punctiformem, ubi parvae maculae aggregatae seu confluentes adsunt;

*b*) Mel. tuberculosam, quae in corporis omnibus organis oriri potest;

*c*) Melan. stratiformem, quae rarius homines, crebrius abdominis membranas serosas equorum occupat;

*d*) Melanosin liquidam.

Itaque Cl. ***Carswell*** maxime promeruit, quod melanosin spuriam a vera tam stricte distinxit et quodammodo melanomatis nomine constituto melanosin benignam a melanosis notione sejunxit.

Quum auctores in his divisionibus a me apppositis imprimis formae externae melanosis rationem habuerint, sequar Ill. Nasse, qui non modo differentias formae externae et sedis pseudorganisationum in medium profert, sed etiam complicationes et rationes processus localis morbosi cum toto organismo respicit.

## Cap. III.

Pigmentum atrum, quod est productum materiale morbosi processus in melanosi, apparet massa homogena, ma-

gis minusve nigra, quae organisationis nulla vestigia offert. facillime aqua et alcohole solvitur, linteum et substantias albas, ut omnis materia nigra, colorat, modo per fabricam singularum telarum, organorum, pseudoproductionum est dispersa, modo in locis singularibus accumulatur et materias secretas offert. Consistentia massae melanoticae valde discrepat, vel tenax enim est, vel pulticulae similis, vel liquida maxime sebi spissitudinem aequat. Hujus varietatis causa cernitur in natura medii, quod, si analyses chemicae verum probant, maximam partem ex albumine et fibrina est compositum.

Cl. ***Thenard*** ct ***Barruel*** primi ab Illustrissimo ***Dupuytren*** rogati substantiam melanoticam investigarunt atque per experimenta compererunt, eam praecipue ex carbone constare. Primam pigmenti illius nigri analysin ampliorem Cl. ***Pearson*** instituit.

Massa digitis expressa aquam et cutem nigro colore inficiebat, sed fervens neque aqua, neque acidis concentratis solvebatur. Pulverem nigrum contra ex glandulis bronchialibus caustico alkalino et acidis impetratum atque denique evaporatum pro carbone animali habet.

***Chorion*** in melanosibus albuminum et pigmentum singulare atrum distinxit.

Autore ***Lassaigne*** autem tubercula nigra equorum ex substantia fibrosa et colorata, ex materia quadam subnigra acido sulphurico diluto et solutione natri subcarbonici solubili, ex albuminis pauxillo, ex natro muriatico, natro subcarbonico, calcaria phosphorica et ferro oxydato componuntur. ***Breschet*** in melanosi ex humanis cadaveribus desumta maximam partem pigmentum sanguinis

cum fibrinae pauxillo variis sebis conjunctum, calcariam phosphoricam atque ferrum oxydatum invenit.

Clar. ***Foy*** instituit analysin accuratiorem, quam ***Trousseau*** et ***Leblanc*** in dissertatione de melanosi commemorant. ***Foy*** enim in centum partibus massae melanoticae equi cujusdam reperit:

| | | |
|---|---|---|
| Albuminis | pt. | 15,00 |
| Fibrinae | » | 6,25 |
| Materiae magnam carbonis copiam continentis | » | 31,40 |
| Aquae | » | 18,75 |
| Calc. phosphoricae | » | 8,75 |
| Kali muriatici | » | 5,00 |
| Natri muriatici | » | 3,75 |
| Calc. carbonicae | » | 3,75 |
| Natri carbonici | » | 2,50 |
| Magnesiae carbonicae | » | 1,75 |
| Natri tartarici | » | 1,75 |
| Ferri oxydati | » | 1,75 |
| | | 100,00 |

Omnes analyses, quas attuli, una quasi voce probant, melanosin easdem materias, quae in sanguine adsint, minime vero ullam, quae in sanguine non sit, continere, sed in melanosis pigmento atro carbonem praedominari atque illud quidem sanguinis cruori simile, sed non idem. ***Heusinger*** et ***Breschet*** relationem specialem hunc morbum et obesitatem intercedere credunt, quod ex tumorum situ in tela cellulosa et in partibus pinguedine opulentis clarum evadat; imo vero in massa morbosa strata integra adipis flavi atque tubercula majora pinguedine mixta, ut tradunt, inveniuntur. Quanquam porro

plurimi auctores melanosin non esse organisatam satis demonstraverunt, ***Nicolai*** melanosis organisationem haud negat, quippe cujus tegumenta et partes constitutivas vasa, praecipue venas habere, atque fibrosas, solidas ostendere interpositas molles substantias, putet; perinde enim negandam non esse cerebri organisationem, quod sine vasis massam homogeneam offerat.

## Cap. IV.

Plurimae melanosis divisiones enumeratae magis ad morbi sedem, ad complicationes, ad rationem, quam morbi processus localis cum toto organismo alit, spectant.

Melanosis igitur apparet: I. quod attinet ad formam externam, vel in massis secretis, vel singulis organis telisque infiltrata, quocirca melanosin aggregatam et melanosin disseminatam discernimus.

Jam vero melanosis aggregata aut tubercula (mel. tuberculosa) aut majores superficies (mel. membranacea) occupat.

Tubercula autem melanotica sunt formae magis ellipticae, quam rotundae, cum superficie non glabra verucis simili, variae magnitudinis et ponderis, coloris obscuri, lividi, fusco-nigri. Contenta majorum lamellis sunt discreta, interdum massam fere mollem, homogeneam, fusconigram conformant. Massa melanotica raro cystidibus inclusa est (melanosis tuberculosa cystica). Cum ***Andral*** in nullo casu a se observato cystidem unquam vidisset, hoc genus plane negabat. Telae vicinae processus morbosi non semper participes sunt, nervos atque tendines incolumes illas massas permeare, vasa autem, saltem tegumenta eorum, exceptis arteriarum tunicis fibro-

sis, melanosi affici observatum est. ***Blasius*** et ***Schilling*** tubercula melanotica cum venis iliacis tam concreta invenerunt, ut deduci ab iis non possent. ***Blasius*** etiam, facta tumorum melanoticorum impletione, vasa parva per eos discurrentia vidit. Praeterea, copiam tuberculorum respicientes, melanosin tuberculosam solitariam et aggregatam distinguere possumus.

Melanosis membranacea praesertim membranas serosas occupat, structura omnibus pseudomembranis similis, et primum quidem eas quasi colore atro tingit, postremo supra earum faciem eminet atque hoc sub statu, ut nonnulli contendunt, cystide includitur. Idem genus in membranis mucosis reperitur, in quibus pigmentum nigrum secretis naturalibus aut immixtum est, aut pseudomembranas conformat. ***Chelius*** massam melanoticam membrana ***Schneideriana*** secretam observavit.

Melanosis denique infiltrata a prioribns tantum eo distinguitur, quod hic massae morbosae pauciores in loco magis coarctato secernuntur. Si igitur morbus puncta nigra minora offert, oritur melanosis punctata, si majores maculas, melanosis maculata, si pigmentum in strias excurrit, melanosis striata. Itaque organa infecta secundum haec genera diversa speciem quoque variam, plerumque marmoratam, ostendunt.

Huic autem formae praecipue pulmones sunt obnoxii, secretum enim nigrum in parenchymatis cellulis condensari et indurationem creare potest, quod plerumque inflammationis chronicae productum essse solet. Talis est ratio in pulmonum hepatisatione nigra, a ***Bayle*** nomine phthisi melanotica descripta. Species singularis hu-

jus generis est Kirrhonosis ***Lobsteinii*** (1), quae tamen in coloratione flava organorum variorum constat et quidem membranarum serosarum cranii, thoracis, abdominis, nec non nervi sympathici maximi, ***Lobstein*** hunc morbum peculiarem in foetibus humanis immaturis reperit.

II. Quod pertinet ad rationem processus morbosi topici cum toto organismo, primum distinguenda est: melanosis localis, sive topica, quae integritatem corporis nullo modo turbat, imo adeo ne functionem quidem organi, in quo sedet, immutat. Huc pertinent omnes species, quas Cl. ***Carswell*** melanomati adnumeravit, nec non illae, quas ***Schilling*** nomine melanosis benignae collegit. Deinde melanosis universa, sive constitutionalis, qua alius morbus universalis per systema vegetativum reflecti videtur. Haec fere nunquam organon solitarium occupat, sed semper vel statim vel paulatim totius corporis organa invadere solet. Istae formae ex pluribus nosographiis, ab ***Andral***, ***Laennec***, ***Schilling***, ***Roemhild***, ***Natorp***, qui in policlinico medico-chirurgico universitatis Berolinensis cum celeberrimo ***Truestedt*** casum melanosis universalis accuratissime observavit, conscriptis, satis mihi notae sunt.

III. Complicationum ratione discernuntur: Melanosis simplex, quae velut sola secretio pigmenti nigri, cum albumine et fibrina conjuncti, in organis atque telis ceterum normalibus reperitur. Melanosis contra complicata cum morbis diversissimis tam topicis, quam universalibus, praecipue dyscraticis nexum causalem habet; huc

---

(1) J. F. Lobstein, Repertoire d'anatomie pathologique T. I. Ejusdem Traité d'anatomie pathologique T. I. Paris 1829. Cap. 5. No. 5.

pertinent omnes inflammationes, indurationes, ulcerationes et fere omnes pseudorganisationes: complicationes creberrimae melanosis sunt: cum scirrho, fungo medullari, cum tuberculis. Cl. *Carruther's* (1) casum memoratu dignum apposuit, quo melanosis cum massa quadam cartilaginosa commixta videbatur: exstirpavit enim in homine quodam tumorem parvum, qui in media et posteriore parte ulnari locum tenuit, quo dissecto structuram filamentosam et retiformem habente, effluxit liquor ater, qui linteum et chartam tinxit. Praesertim fungus medullaris cum melanosi adeo saepe conjunctus reperitur, ut fere omnes observatores hanc complicationem invenerint; aut enim secretum nigrum tantummodo per totam massam morbosam diffusum videtur, dum alia corporis organa sana sunt, aut tumores melanotici in toto organismo una cum fungo medullari, et quidem in ejus stadio emollitionis, erumpunt. ***Roemhild*** in dissertatione supra citata historiam morbi descripsit, in quo solus fungus medullaris thoracis pigmento atro erat perfusus, praeterea investigatio aliorum organorum nihil notatu digni obtulit. ***Schilling*** autem in dissertatione (Pag. 45) exemplum fungi medullaris melanotici, quo tubercula nigra in stadio provectiore per totum organismum orta sunt, nobis offert. In tuberculosis quoque illo stadio, in quo tumorum contenta mollescere et magis magisque in massam homogeneam transire incipiunt, pigmenti atri immixtionem pathologi invenerunt. Si tubercula pulmonalia irritamento quodam partes propinquas inflammant

(1) D. C. Carruther's in: Edinburgh. Med. and Surg. Journal. New Series Sept. 1828. ex quo libro in: Froriep's Notizen a. d. Gebiete der Natur- und Heilkunde Bd. 27. p. 189.

atque indurant, haud raro infiltratio melanotica huic indurationi supervenit. Eodem modo alii scirrhum in emollitionis stadio massa melanotica conjunctum, et quidem inter strias fibrosas, quae contentum penetrant, materiam modo fuscam modo nigram observarunt.

IV. Cum denique melanosis sedem respicimus; quaeque corporis humani pars ei obnoxia esse videtur. Quod ad divisionem generalem magni momenti est, scire, utrum melanosis partes externas corporis an organa interiora occupet; quibus consideratis, melanosin externam et internam discernere possumus.

Melanosis vero in corporis partibus exterioribus aut maculas lividas, quae magis minusve in colorem nigrum transeunt, aut tumores conformat rotundos aequali colore, qui nec ipsi aegrotum offendunt, nec pressione dolorem excitant. Cum vero totus organismus hujus morbi dyscratici particeps est, cutis quoque livida, immunda, fusco-nigra videtur. In corio ipso rarissime melanosis reperitur, sed vel in ejus superficie, vel in reti vasculoso ***Malpighii***, vel in panniculo adiposo, vel omnino in organis, quae profundiorem habent sedem, ita ut cutis, quasi in pseuderysipelate, melanosin modo reflectat.

Melanosis contra interna fere omnia organa corripit, sed creberrime in tela cellulosa oritur, quae permultis in casibus fundum melanosis sistit, atque ab ejus loco aliquo per totum corpus malum disseminari videtur. ***Nicolai*** casum offert, quo melanosis ex cavo axillari et ***Schilling***, quo ex poplite et regione inguinali totum corpus infestavit; nonnulli quidem auctores contendunt, fundum melanosis non telam cellulosam, sed potius glandulas lymphaticas, in his regionibus numerosas, exhibere.

***Brechet*** etiam melanosin, inprimis tuberculosam, nil esse, nisi secretionem pigmenti nigri in tela cellulosa, censebat.

Membranae serosae non raro melanosi stratiformi, maculata, pseudomembranacea, tuberculosa et polyposa, quarum hanc ***Roemhild*** in nosographia prima descripsit, sunt obtectae. Peritonaeum frequentissime est earum sedes. ***Laennec*** totum peritonaeum colore impuro et cinereo notatum, numerosis parvis rubris et nigris maculis obrutum invenit. ***Fawdington*** non modo peritonaeum, sed etiam pleuram et pericardium melanosi affecta vidit.

Nonnulla exempla melanosis in membranis mucosis exstant, quae sub majorum et minorum macularum forma apparet. ***Andral*** in homine quodam, qui diarrhoea chronica longum per tempus vexabatur, tunicam mucosam totius intestini crassi inde a valvula ***Bauhini*** usque ad rectum quasi colore atro, sine aliqua ejus destructione, tinctam invenit. Aliis vero in casibus, auctore ***Andral***, tumores melanotici in intestinis tunicam destruxerant. Ill. ***Nasse*** ulcera intestinalia in typho abdominali cum margine nigro superficiali vidit, saepius autem in eodem modo massae melanoticae in tunica cellulosa intestinorum sedebant. ***Chelius*** in narium tunica mucosa, ***Cruveilhier*** in ventriculi tunica intima melanosin una cum enteromalacia observarunt. Melanoses peramplae in equorum ano haud raro occurrunt, uti exempla a ***Noack***, ***Leblanc*** aliisque enarrata docent.

Dubito an musculos ipsos melanosis corripiat, cum massa morbosa in omnibus iconibus, quae nobis sunt oblatae, in tela cellulosa, inter fibras musculares transgrediente, consideat, quod ***Breschet***, ***Schilling***, ***Roem-***

*hild* etc. observarunt. Unum modo exemplum a *Trousseau* et *Leblanc*, quo musculi colore nigro infecti eorumque structura, ut videbatur, mutata fuit, nobis est traditum. *Savenko* et *Fawdington* maculas nigricantes in cordis musculis papillaribus se vidisse asserunt. *Roemhild* circa triginta tumores melanoticos variae magnitudinis in cordis superficie et substantia, sed nunquam fibras musculares nigro pigmento alienatas reperit; eodem modo *Schilling* cordis melanotici sectione accuratissima structuram musculorum non alienatam invenit et in quadam melanosi universali, ut affirmat, cordis laxi subfusci superficies pigmento nigro quasi striata apparebat, maxime ea in parte, quae ventriculi dextri tegumentum est. Pigmentum hic melanosin membranaceam constituebat, non autem in pericardii lamina interna depositum erat, sed in tela cellulosa, quae illam cordis substantiae adnectit; multae nigrae maculae super reliquam cordis partem erant dispersae, pigmenti color autem e coeruleo, atro et subfusco commixtus videbatur. Omnes, imprimis autem majores tumores, pedicillo quodam insidebant, integumento celluloso praediti erant et ex massa homogenea fusca constabant.

Glandulae cum conglobatae tum conglomeratae melanosi haud raro sunt obnoxiae. *Lécat* (1) pigmentum nigrum in glandulis conglobatis observavit idque cum pigmento chorioideae et sub cute Aethiopum posito comparavit. Color autem ater in glandulis bronchialibus, in fere omnibus sectionibus hominum aetate provectiorum

---

(1) Traité de la couleur de la peau humaine. Amsterdam 1765. pag. 18 et 98.

invenitur, nullo igitur modo, auctoritate medicorum doctissimorum, pro morbo est habendus. ***Laennec*** discrimen posuit inter materiam nigram, quae e. g. in glandulis bronchialibus adest, et inter melanosin: »Pigmentum enim, inquit, melanosis emollitae, nec non ex solida expressum, cutem quidem reddit nigram, sed color facile exstinguitur. Qua re melanosis a glandulis bronchialibus valde discrepat, nam pigmentum ex his expressum adeo tenacem reddit colorem, ut, si ante lavationem aruerit, vel aliquot diebus post in cute conspiciatur.«

In pulmonibus melanosis, et quidem maculata, tum crebra est, ut morbus nominari vix possit. In omnium adultorum pulmonibus animadvertitur coloratio nigra, eo magis diffusa, quo provectior aetate homo, modo adsunt puncta parva nigra solitaria, modo aggregata, modo facies major pleurae internae pigmento nigro, sine pulmonis degeneratione, est obtecta. ***Schilling*** vidit lobum superiorem dextri pulmonis atrum, ceterum vero non mutatum, quod exemplum melanosi benignae adnumerat. ***Andral*** etiam contendit, massam melanoticam pulmones permeare, dum consistentia eorum haud mutata, vel solidior appareat, sed hanc indurationem, quae propter similitudinem cum hepate dicatur hepatisatio, ex melanosi non pendere videri, veram ejus causam in inflammatione progressa, vel chronica, ponendam esse. Plurimae melanoses pulmonum sunt complicatae cum tuberculis et hoc in casu omnia signa pathognomonica hujus morbi se ostendunt, si stadium emollitionis et excretionis materiarum tuberculosarum incipit; imo sputa apparent nigra, qua melanosin cum tuberculosi una adfuisse indicant. Melanosis simplex sine molestiis majoribus per totam vi-

tam protrahi potest. Cum vero massae melanoticae valde adaugentur, oritur dyspnoëa, tussis sicca, aut asthma humidum cum sputis mucosis nigricantibus, macies, oedema totius corporis et fere sine pulsus mutatione aliqua aegrotus mortem obit. Hic morbus febris hecticae defectu a phthisi pulmonali distingui debet.

***Williams*** (1) melanosin pulmonum ita explicat: Substantia atra telam pulmonalem per tunicae bronchialis mucosae loca erosa, emollita, aut alio modo deleta adit, quod etiam in sola refrigeratione, catarrho pulmonum atque tussi fieri potest, postea pigmentum nigrum non amplius resorbetur, quod omnino resorptio in materias solidas et insolubiles nullam vim exserit. Praesertim pulvis carbonum functiones respiratorias sollicitare non videtur, si in iis locis deponitur, quibus circuitus sanguinis non turbatur, quare in lobulorum pulmonalium angulis, in cicatricibus, massa nigra sine damno per totam vitam haerere potest. ***Gregory*** (2) casum notabilem descripsit, quo hoc malum plures opifices inspirato pulvere carbonum adgrediebatur, hydrops anasarca una cum spirandi difficultate accedebat atque mors sequebatur. Similes casus ***Thompson*** et ***Graham*** observarunt.

Melanosin hepatis ***Laennec*** in observationibus obiter citatis, ***Bayle***, ***Alibert***, ***Breschet*** viderunt, ***Fawdington***, qui egregiam effigiem in tabula tertia et quarta adjecit, casum peculiarem nobis tradit. Plerumque melanoses hepatis cum aliis morbis dyscraticis

(1) C. J. B. Williams: Rational exposition of the physical signs of the diseases of the lungs and pleura, illustrating their pathology and facilitating their diagnosis. London 1828. translata ab Arm. Velten. Bonnae 1835. t. III. S. 124.

(2) Edinburgh Med. and. Surg. Journal No. 108.

sunt complicatae. Cl. ***Mérat*** melanosin cum aliis pseudorganisationibus in hepate a ***Chomel*** observatam exponit: homo quidam aetate provectus et macilentus, cujus hypochondrium dextrum valde erat tumefactum, excretiones materiae fuscae frequentissimas per os atque anum, cutem flavam, oedema pedum, respirationem debilem et pulsum minus frequentem obtulit, et mox post receptionem in caritatis nosocomium Parisiense obiit. Facta sectione cadaveris inveniebatur hepar cum organis vicinis concretum et per omnes regiones abdominis extendebatur, pondus habebat XII librarum, degeneratum erat et massam homogeneam griseam, nigram stratis albidis immixtam formabat; superficies ejus colore violaceo et nigricante, tumoribus non multo prominentibus subnigris, obtecta fuit, quorum magnitudo inter seminis milii amplitudinem et pomi minoris variabat; tubercula in parenchyma erant immersa variae magnitudinis et coloris nigri, fusci, albi, quorum nonnulla indolem scirrhi obtulerunt. ***Noack*** reperit in equi hepatis parenchymate tnberculum melanoticum, quod libras quadraginta aequabat. Ceterum symptomata peculiaria, quae hunc morbum ab aliis hepatis distinguant, non exstant, nisi quod melanosis universalis adest.

In systemate nervorum melanosis creberrime oritur, plerumque tamen infiltratur, dum structura incolumis apparet; saepius in cerebro quam in nervis obviam venit. ***Wardrop***, ***Breschet***, ***Hooper*** et ***Chomel*** melanoses cerebri observarunt, ***Savenko*** etiam in nervo optico et ***Schilling*** in nervo phrenico. ***Nicolai*** (1) nonnullos ner-

---

(1) Rust's Magazin Band XXII. S. 545.

vos usque ad massas melanoticas persequebatur, sed in his ipsis lumina nervorum diminuta reperit, eorum vaginae medullae inopes et collapsae erant, sicut in tabe dorsali, eodem modo arteriae obliteratae videbantur.

Quanquam vasa ipsa raro sedem melanosis exhibent, tamen nonnulla exempla, praecipue de melanosi universali, memoriae sunt tradita, quibus massae nigrae in tunica cellulari venarum et in arteriarum tunica intima sedebant. ***Andral*** distinxit: in arteriis massas solidas, homogeneas, sed digitis friabiles, inter mediam et intimam tunicam, nec non pigmentum in circuitu et fundo quarundam ulcerationum tunicae intimae arteriarum. Contra superficiem externam venarum et vasorum lymphaticorum tumores melanotici haud raro occupant, uti ***Blasius***, ***Laennec*** et ***Schilling*** viderunt.

## Cap. V.
## DE MELANOSIS AETIOLOGIA.

Nulla fere artis medicae pars difficilior mihi videtur, quam causae morbiferae, quarum investigatio veram lucem et morborum naturae et eorum therapiae afferat, id quod non solum de affectibus chronicis sed etiam de acutis valet. ***Laennec*** melanosin pro carcinomatis specie (cancer mélané) esse habendam et tumores melanoticos formam pseudorganisationum exhibere putat. Quam opinionem ***Blasius*** recentissimis temporibus eo modo defendit, ut melanosin classi fungi medullaris atque morborum similium adnumeraverit, pigmentum autem nigrum propterea quod melanoses in glandulis lymphaticis creberrimae occurrant, adenoides nominaverit.

***Andral*** contra et omnes, qui eum sequebantur, me-

lanosin non esse pseudorganisationem, sed pseudoproductum, aut secretionem et depositionem pigmenti carboneo abundantis sanguinis in telis sanis vel morbosis corporis, contendunt. Conformatio pigmenti nigri hominum alborum; statu normali solum in certis corporis partibus, in oculi chorioidea, pilis, cerebro et, si vis, in pulmonibus obviam venit. Haec autem depositio et decarbonisatio sanguinis cum simili processu haematemesis, melaenae, morbi maculosi aliorumque morborum comparari possunt, est enim quasi conamen medicatricis naturae, sanguinem carboneo liberandi, quod in sanguificatione normali pulmonum, hepatis, lienis, renum etc. functionibus ex corpore removetur. Si autem excretio hujus substantiae, illis organis actione pathologica affectis, impedita vel imminuta est, carboneum aut in singulis partibus, aut in tota massa sanguinis accumulari debet, quo fit, carboneum omnibus partibus constituti vis emineat et sanguinis mixtionem commutet. ***Heusinger*** igitur jure primam conditionem melanosis creandae in copia carbonei, qua sanguis abundet, cerni putat. Haec autem hujus substantiae abundantia vel ab ejus excretione diminuta, vel a productione aucta, vel a momento utroque pendet.

Certo melanosis depositione pigmenti nigri in variis corporis organis eodem modo, ut icterus depositione bilis efficitur. Omnino bilis, quae in sanguificatione normali permagni momenti est, prae omnibus aliis materiis hic morbose mutata esse videtur. ***Blasius*** vidit in sectione quadam virginis, quae fungo medullari sine melanosis symptomatibus obierat, multos parvos chololithos, magnitudine capituli acus, nigros et splendentes, qui maximam partem ex carbone compositi esse videbantur. Huc

pertinet quoque, quae ***Berzelius*** (1) de specie singulari chololithorum disserit: »Es giebt eine seltenere und weniger gut gekannte Art von Gallensteinen, welche hauptsächlich aus Kohle zu bestehen scheinen, denn nachdem man durch Wasser, Alcohol etc. eine kleine Menge in diesen löslicher Stoffe ausgezogen hat, bleibt eine dunkle geschmacklose Masse übrig, die sich durch Glühen nicht verändert, und nach ***Powells*** Versuchen, beim Erhitzen in Sauerstoff zuerst eine geringe Spur von Rauch giebt, sich darauf entzündet und ohne Flamme und Rückstand unter Bildung von Kohlensäuregas verglimmt.»

***Schilling*** originem melanosis benignae ex secretione vicaria deducendam putat, in senum enim pilis, inquit, nihil amplius pigmenti secernitur, cutis quoque pallidior fieri solet, natura igitur pigmentum in aliis locis deponere cogitur. Hoc in casu etiam in pulmonibus pigmentum secerni, nemo mirabitur, quum etiam statu normali pulmones eam habeant provinciam, ut nimiam carbonis copiam sanguini auferant. Sententiam hanc, quanquam ingeniosam, probare nequeo, quoniam secretionem vicariam non modo ad melanosin benignam sed ad alias etiam species pertinere credo. Certo autem melanosis est secretio quaedam vicaria, cujus rei argumenta manifestissima nobis pathologia comparativa praebet; constat enim, equos crinibus albis et rubro flavescentibus hoc malo saepius infestari, quod ***Gohier***, ***Flandrin***, ***Chabert*** aliique confirmant. ***Otto*** etiam melanosin in mulis, asinis et in cervo quodam se vidisse affirmat; Cl. ***Breschet*** eam in cani-

---

(1) **Berzelius** Lehrbuch der Thierchemie. A. d. Schwed. v. T. **Wohler**. Dresden 1331 p. 226.

bus, cuniculis, gliribus albis imprimis, et ***Jaeger*** in ardea et platelea leucorodia conspexerunt.

Fere omnes viri docti, qui de hac materia scripserunt, homines constitutione atrabilari praeditos ad hunc morbum vergere consentiunt. ***Noack*** haemorrhoides in causis esse censet, quod inficior, quia haemorrhoidum aeque ac melanosis causae quidem remotae in venae portarum systemate collocari possunt, sed haemorrhoidarii ipsi ad melanosin non semper sunt opportuni. Si igitur omnia momenta, nempe evolutionem melanosis post morbos organorum assimilationis, ejus genesin in fere omnibus partibus corporis, sectiones cadaverum, quae una morbos organicos alius generis, praecipue in pulmonibus et hepate, ostenderunt, analyses chemicas massae melanoticae, complectimur, nihil restat, quam ut melanosin productum anomalae secretionis habeamus.

Plurimum vero ad excitandam melanosin universalem exstirpatio tumoris melanotici valet, uti ***Fawdington***, ***Carswell***, ***Schilling***, ***Roemhild*** aliique observarunt; tumor singularis melanoticus magis conamen medicatricis naturae, si enim illas sententias supra commemoratas sequar, esse videtur, materias morbosas in loco deponendi, ubi, quum insolubiles non amplius resorbeantur, organismum porro offendere nequeunt, quare melanosis tuberculosa topica semper noli me tangere appellari potest.

# VITA.

*Albertus Eduardus Henricus Nehse*, fidei evangelicae addictus, natus sum die XII. m. Martii anno hujus saeculi XVI. Landsbergae ad Wartham, parentibus carissimis *Friderico Conrad*, matre *Maria Henrica* e gente *Calix*. Patrem invida mors dudum mihi abstulit, matrem vero adhuc superstitem pio animo veneror. Primis litterarum elementis domi imbutus, patre mortuo a. MDCCCXXX. in gymnasio Joachimico Berolinensi, quod Cl. directore *Meinecke* adhuc floret, inter dissipulos quartae classis receptus sum. Quo gymnasio relicto, testimonium maturitatis a. MDCCCXXXV. in gymnasio Fridericiano Vratislaviensi obtinui, et ad studia sublimiora nimirum ad artem medicam et chirurg. animum adverti. Proinde almam literarum universitatem Viadr. petii, ubi ab Illustr. *Unterholzner*, fasces tunc academicos tenente, inter civium academicorum numerum receptus, ab Ill. *Otto*, t. t. gratiosi medicorum ordinis decano, medicinae studiosis adscriptus sum.

His praelectionibus per annum interfui:

Ill. *Henschel* et Ill. *Goeppert* de botanice, excursionibus conjuncta. Ill. *Glocker* de mineralogia. Ill. *Gravenhorst* de zoologia. Ill. *Pohl* de physice experimentali.

Ill. *Wachler* de hodegetice. Ill. *Stenzel* de historia german. nec non de historia a. MDCCCXXXIII — XV. Ill. *Otto* de osteologia et syndesmologia, de anatomia corp. hum. et de arte cadavera secandi, de sectionibus forensibus. Ill. *Braniss* de logice. Ill. *Purkinje* de physiologia et pathologia generali.

Mense Majo a. MDCCCXXXVI. Berolinum adii et ab Ill. *Busch*, t. t. rectore magnifico, civibus almae Universitatis Fridericae Guilelmae adscriptus, Ill. *Müllero*, gratiosi medicorum ordinis decano, nomen dedi.

Per tres inde annos hasce scholas frequentavi:

Ill. *Müller* de anatomia comparata et physiologia hom. speciali, nec non de physiologia generationis. Ill. *Mitscherlich* de chemia experimentali. Ill. *Steffens* de psychologia. Exper. *Mitscherlich* de materia medica. Cel. *Casper* de therapia et pathologia special. nec non de morbis infantum. Ill. *Rust* de chirurgia. Ill. *Horn* de morbis syphiliticis. Ill. *Kluge* de arte obstetricia theoret. et pract. Cel. *Romberg* de diagnostice. Ill. *Wagner* de medicina forensi theoretica et practica.

Scholis clinicis interfui et medicis et chirurgicis et ophthalmiatricis Cel. *Wolff*, Ill. *Wagner*, Cel. *Truestedt*, Ill. *de Graefe*, Ill. *Rust*, Ill. *Juengken*.

Quibus omnibus praeceptoribus illustrissimis et celeberrimis optimeque de me meritis maximas, quas habeo, gratias ago. Nunquam eorum memoriam tempus delebit.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

# THESES.

1. Solutio extracti belladonnae scarlatinam arcere nequit.
2. Ambustio pernioni analoga est.
3. Acini renum non existunt.
4. Nervus acusticus est apophysis cerebri.
5. Carcinoma unius partis dyscrasiam carcinomatosam supponi non jubet.